

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XXVI. Continens Descriptionem Primi Miraculi, Editi A Christo In
Nuptiis In Cana Galilaeae, Johann. 2.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

nomen Nathanael voluisse exprimere. Sunt etiam, qui propter apertionem cœli, Nathanaëli promissam, existimant, ipsum esse Stephanum, qui vidit cœlos apertos, Act. 7. v. 56. Augustinus verò & alii sentiunt, Nathanaelem hunc non fuisse Apostolum. Et inde, quòd inter quinque primos discipulos doctissimum Nathanaelem Christus non elegit in Apostolum, tria observantur: 1. Electionem Dei beneplacito & gratia, non nostra dignitate & merito, niti. 2. Ne conversio mundi humanæ sapientiæ tribueretur. Elegit Christus Apostolos, homines non doctos, sed plebejos, nulla eruditione celebres, ut totus

mundus agnosceret, Dei opus esse, quòd ipsorum ministerio superstitiones dejiciebantur, & contra omnes inferorum portas per totum mundum Ecclesia Evangelio ædificabatur. 3. Observarunt hinc etiam illud: posse aliquem Deo fide placere, acceptum esse, & ipsi servire, etiamsi ad præminencia officia nõ vocetur. Sed tamen inter primos discipulos voluit Christus etiam doctum Nathanaelem vocare, ut ostenderet, regnum suum pertinere & ad sapientes, & ad insipientes, Rom. 1. v. 14. sicut & postea etiam Paulum, à pueris in lege institutum, fecit Apostolum.

CAPUT XXVI.

CONTINENS DESCRIPTIONEM PRIMI MIRACULI, EDITI A CHRISTO IN NUPTIIS IN CANA GALILÆÆ, JOHANN. 2.

RATIO ORDINIS

RX veteribus quidam à profectioe Christi in Galilæam, quæ sub finem primi capitis Johannis describitur, digrediuntur ad reliquos Evangelistas, ac multas historias de iis, quæ Jesus in Galilæa docuit & fecit, interponunt, prius quam miraculum hoc mutata aquæ in vinum recensent. Idque nullam aliam ob causam, & ex nullo alio argumento, quam quòd traditio esse feratur, quòd 6. Januarii Christus sit baptizatus, quodque eodem die, revoluto anno, aquam in vinum mutarit. Ne igitur Christum per totum primum annum ministerii sui otiosum facere videantur, multas historias, quas post captivitatem Baptistæ, hoc est, secundo anno ministerii Christi, factas esse constat, sicut in prolegomenis diximus, & mox postea ostendemus, intempestivè huc miscent: ac sine ratione totam seriem historiæ Evangelicæ hoc loco perturbant. Ostendimus autem in prolegomenis, traditionem illam de sexta die Januarii incertam ac dubiam esse, nec ipsam secum consentire, aut consistere posse. Non satis autem considerate facit, qui propter incerta ea, quæ manifesta ac certa sunt, turbat & pervertit. Certum autem est ex Johannis notatione, mutationem illam aquæ in vinum esse principium miraculorum Christi. Nullum igitur aliud signum vel miraculum in ordine Evangelicæ historiæ huic præponendum est. Certum est & hoc: ea, quæ Matthæus, Marcus, &

Lucas in Galilæa à Christo dicta & facta describunt, post captivitatem Baptistæ accidisse. Sed Johannes expressè dicit, ea, quæ ipse cap. 2. & 3. describit, facta esse priusquam Joannes in carcerem conjiceretur. Illa igitur sive mixtura sive confusio historiæ à quibusdam veterum, sicut dixi, propter incertam illam de sexto die Januarii traditionem instituta, nec probari potest, nec recipi debet. Sed quia Johannes ea, quæ post reditum Christi ex deserto usque ad captivitatem Baptistæ gesta sunt, solus describit, reliquis statim digredientibus ad ea, quæ post captivitatem Baptistæ gesta sunt: Manifestum igitur est, inter hasce Johannis Evangelistæ historias, quas à medio primi capitis usque ad finem tertii capitis describit, nihil posse aut debere ex reliquis Evangelistis interferi, sed historias illas eo ordine, sicut à Johanne descriptæ sunt, in Harmonia collocandas. Quod semel hoc loco monuisse satis est. Et in hac historia Evangelista ex professo ostendit, se *ἀπολεξάντων* historiæ observasse. Dicit enim, (*Tertia die*) scilicet post aditam Galilæam, factum hoc miraculum. Et hic ordo historiæ pulcherrima consequentia cohæret. Cum enim paulò ante indicatione occultorum, & prædictione futurorum, Christus se plus quam hominem esse ostendisset: jam, mutatione aquæ in vinum, gloriam divinitatis suæ plenius manifestat discipulis.

HISTORIA DE INITIO MIRACULORUM JESU, HOC EST, DE MUTATIONE AQUÆ IN VINUM, FACTA IN NUPTIIS IN CANA, JOANN. 2.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Καὶ τῆ ἡμέρᾳ τῆ τελειῆ γάμου ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας καὶ ἦν ἡ μήτηρ Ἰησοῦ ἐκεῖ.</p> <p>2. Ἐκλήθη ἰ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.</p> <p>3. Καὶ ὑστερῆσαν οἶνον, λέγει ἡ μήτηρ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν· Οἶνον οὐκ ἔχουσι.</p> <p>4. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; ἔτι οὐκ ἦν ὥρα μου.</p> | <p>1. Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilæa: & erat mater Jesu ibi.</p> <p>2. Vocatus est autem & Jesus & discipuli ejus ad nuptias.</p> <p>3. Et ubi defecisset vinum, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.</p> <p>4. Dicit ei Jesus: Quid mihi tecum est mulier? nondum venit hora mea.</p> |
|---|--|

5. λέγει

5. Λέγει ἡ μήτηρ αὐτῶν τοῖς διακόνοις· Ὅ, τι αὐτὴ λέγει ὑμῖν, ποιήσατε.
6. Ἦσαν ἢ ἐκεῖ ὑδρίας λίθιναι ἕξ κείμεναι κτ' τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνά μετρητάς δύο ἢ τρεῖς.
7. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατι· Καὶ ἐγγέμισαν αὐτὰς ἕως ἀνω.
8. Καὶ λέγει αὐτοῖς· Ἀντήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιερκελίῳ. Καὶ ἤνεγκαν.
9. Ὡς ἢ ἐγένετο ὁ ἀρχιερεκλίῳ· τὸ ὕδωρ οἶνον γεννημένον. (καὶ ἐκ ἡδῆ, πόθεν ἐστὶν· οἱ δὲ διακονοὶ ἠδύναν οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ·) Φωνεῖ τὸ νομφίον ὁ ἀρχιερεκλίῳ.
10. Καὶ λέγει αὐτῷ· Πᾶς ἀνδρῶν πρῶτον τὸ καλὸν οἴνου πιθῆσι, καὶ ὅταν μεθύσῃσι, τότε τὸν ἐλάσσωσιν· σὺ τετρημένος τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.
11. Ταῦτ' αὖτε ἐποίησε πάλιν ἀρχιερκελίῳ τῶν σημεῖων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφάνησεν πάλιν δοῦσαν αὐτῷ· καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

5. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite.
6. Erant autem ibi lapideae hydris sex, posite secundum purificationem Judaeorum, capientes singula metretas binas aut ternas.
7. Dicit eis Jesus : Implete hydras aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.
8. Et dicit eis : Infundite nunc, & ferte Architriclino, Et tulerunt.
9. Postquam autem gustasset Architriclinus aquam in vinum versam, (neque sciret, unde esset : sed ministri sciebant, qui hauserant aquam :) vocat sponsum Architriclinus,
10. Et dicit ei : Omnis homo primo loco bonum vinum ponit, & cum inebriatus fuerint, tunc id, quod deterius est : tu servasti bonum vinum usque ad hoc tempus.
11. Hoc edidit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae, & manifestavit gloriam suam : & crediderunt in eum discipuli ejus.

Periocha hujus Historiae.

Ταῦτ' αὖτε ἐποίησε πάλιν ἀρχιερκελίῳ τῶν σημεῖων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφάνησεν πάλιν δοῦσαν αὐτῷ· καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

Quinque igitur illis discipulis, de quibus Joh. 1. dictum est, comitatus Jesus venit in Galilaeam : & non videtur divertisse in patriam Nazareth. Nam Luc. 4. v. 16. primum eò redit : sed vel cum Petro & Philippo ad ipsorum patriam Bethsaida se contulit, vel ad Nathanaëlis civitatem, Canam Galilaeae, profectus est : id quod verisimilius videtur. Nam & secundo anno ex Judaea reversus confert se ad Canan Galilaeae. Haec igitur occasione, Jesus cum venisset in Canam Galilaeae, unà cum discipulis ibi ad nuptias, propter cognationem, ut mox ostendemus, vocatus est. Dicit autem Evangelista, nuptias illas factas (tertio die.) Stapulensis intelligit tertium diem à Sabbato. Nam Sabbato, propter varia ministeria nuptialia, non celebrantur nuptias. Nec secunda Sabbatorum : quae enim ad nuptiale convivium necessaria sunt, non potuerunt Sabbato preparari. Tertia igitur Sabbatorum celebrandis nuptiis commoda fuit, ut secunda Sabbatorum prepararentur necessaria. Et hinc existimat, tertium diem, septimanam scilicet, à Johanne appellari. Sed dies septimanam Scriptura solet aliter numerare : scilicet prima, secunda, tertia Sabbatorum, &c. Et non est dubium, Johannem, mentione tertii diei, voluisse ordinem historiarum notare. Quidam igitur tertium illum diem supputant à tempore Petri ad Christum adducti : nam ab illa adductione bis nominatur crastina dies. Ad quam sequitur : (Et tertio die factae nuptiae.) Alii intelligunt diem à discessu Christi à Jordane tertium. Sed si ratio itineris seu professionis consideretur, apparebit, tertia die ab adita Galilaea sive postquam in Galilaeam Jesus venerat, nuptias illas factas. Baptista enim tunc in Bethabara ultra Jordanem versabatur. Et inde duplex est iter in Galilaeam, vel per Peræam, ut circa Genesareth Jordanis transeat : vel, ut in Bethabara Jordanis trajiciatur, & per Samariam transeat in Galilaeam, sicut inspectio Tabularum ostendit. Cana verò è regione est vententibus per Samariam, Johan. 4. v. 46. Atque ideo verisimile est, illac tunc Christum transisse. Ita autem illud vix triduo potest confici. Tertia igitur

Quinque igitur illis discipulis, de quibus Joh. 1. dictum est, comitatus Jesus venit in Galilaeam : & non videtur divertisse in patriam Nazareth. Nam Luc. 4. v. 16. primum eò redit : sed vel cum Petro & Philippo ad ipsorum patriam Bethsaida se contulit, vel ad Nathanaëlis civitatem, Canam Galilaeae, profectus est : id quod verisimilius videtur. Nam & secundo anno ex Judaea reversus confert se ad Canan Galilaeae. Haec igitur occasione, Jesus cum venisset in Canam Galilaeae, unà cum discipulis ibi ad nuptias, propter cognationem, ut mox ostendemus, vocatus est. Dicit autem Evangelista, nuptias illas factas (tertio die.) Stapulensis intelligit tertium diem à Sabbato. Nam Sabbato, propter varia ministeria nuptialia, non celebrantur nuptias. Nec secunda Sabbatorum : quae enim ad nuptiale convivium necessaria sunt, non potuerunt Sabbato preparari. Tertia igitur Sabbatorum celebrandis nuptiis commoda fuit, ut secunda Sabbatorum prepararentur necessaria. Et hinc existimat, tertium diem, septimanam scilicet, à Johanne appellari. Sed dies septimanam Scriptura solet aliter numerare : scilicet prima, secunda, tertia Sabbatorum, &c. Et non est dubium, Johannem, mentione tertii diei, voluisse ordinem historiarum notare. Quidam igitur tertium illum diem supputant à tempore Petri ad Christum adducti : nam ab illa adductione bis nominatur crastina dies. Ad quam sequitur : (Et tertio die factae nuptiae.) Alii intelligunt diem à discessu Christi à Jordane tertium. Sed si ratio itineris seu professionis consideretur, apparebit, tertia die ab adita Galilaea sive postquam in Galilaeam Jesus venerat, nuptias illas factas. Baptista enim tunc in Bethabara ultra Jordanem versabatur. Et inde duplex est iter in Galilaeam, vel per Peræam, ut circa Genesareth Jordanis transeat : vel, ut in Bethabara Jordanis trajiciatur, & per Samariam transeat in Galilaeam, sicut inspectio Tabularum ostendit. Cana verò è regione est vententibus per Samariam, Johan. 4. v. 46. Atque ideo verisimile est, illac tunc Christum transisse. Ita autem illud vix triduo potest confici. Tertia igitur

igitur dies simplicissimè intelligatur, postquam in Galilæam advenerat.

Vocant autem *γάμου* Græci interpretes, Gen. 29. vers. 22. Esther. 2. v. 18. convivium nuptiale, quando sponsa ad sponsum introducitur, & sponsus ad sponsam ingreditur: Sicut Scriptura solet congressum conjugalem honestè circumloqui. Alterum enim vocabulum, quod Ebraeis significat desponsationem, seu ipsum conjugium, Græci reddiderunt, Jos. 23. v. 12. *ἡ γαμία*; Cant. 3. v. 11. *ἡ γαμία σου*. Hoc observandum est ideo, quòd Christus non jam privatus vivens, sed in ipso officio Messia, non tantum desponsationi, sed & illi convivio interesse voluit, quando sponsus ad sponsam ingreditur: & hinc Ebr. 13. v. 4. dicitur, ipsum cubile in conjugio esse immaculatum.

(Mater autem Jesu,) quæ aliàs in Nazareth habitabat, tunc (*erat ibi*;) in Cana Galilæa, ubi nuptiæ illæ fiebant, inquit Evangelista. Et scriptores ex multis circumstantiis colligunt, vel sponsum, vel sponsam fuisse ex cognatione Mariæ. Ipsa enim adest ibi, priusquam reliqui convivæ vocentur: non discumbit cum reliquis, sed ministrat, & curat, quæ necessaria sunt. Et postea Evangelista dicit, matrem & fratres cum Jesu ex Cana descendisse Capernaum: Ergo reliqui etiam cognati Mariæ in nuptiis illis adfuerunt. Et quosdam ex cognatis Mariæ habitasse in Cana Galilæa, vel inde constare potest, quòd Simon, qui Matth. 13. v. 55. vocatur frater Christi, in catalogo Apostolorum, Marc. 3. v. 18. cognomentum habet Cananæi. Atque ita propter illam cognationem Jesus etiam, cum recens in Galilæam ut Messias rediisset, invitatus fuit, atque honoris ipsius gratiâ quinque etiam illi discipuli, quos recens sibi adjunxerat. Et jucunda est observatio, quòd Jesus etiam tunc, quando voce Patris Messias declaratus officium suum incoaverat, non dedignatur, cognatis suis hoc genere officiorum gratificari, quòd vocatus nuptias præsentia sua & præclaro munere ornat: Quod Monachi postea fictitia sua religione indignum judicârunt. Extant enim Canones, quibus clerici nuptiis interesse verantur. Fieri etiam potest, quòd hæc fuerit causa defectus vini, quòd sponsus vinum non in magna copia, sed, propter fortunæ tenuitatem, quantum pro numero convivarum, quos invitaturus erat, sufficere videbatur, comparârit. Cum verò eodem tempore ex inopinato Jesus in loca illa rediret, & honoris ipsius gratiâ præterea quinque alii vel plures etiam invitandi essent, aucto convivarum numero vinum non potuit sufficere. Et hujus circumstantiæ consideratio utilis est ad doctrinam: quòd propter Christum, quando ipse invitatur, & discipulis ipsius aliquid honoris & subditi impenditur, vinum in nuptiis deficit, quod videbatur sufficere potuisse, si non Christus cum discipulis suis ultra numerum hospitem invitandus fuisset. Additur autem postea suavissima consolatio.

Auctor Vitæ Jesu dicit, traditionem esse, Johannem, qui postea Apostolus & Evangelista factus est, in his nuptiis sponsum fuisse. Sponsa, dicit, vocatam fuisse Anachitam, vel Mariam

Herm. Tom. I.

Magdalenam: Et Jesum ideo ad nuptias illas venisse, ut Johannem, licet desponsatum, & sponsam jam copulatum, virginem abduceret: quia conjugio pollutus non posset Christo dilectus esse. Et hoc, dicit, colligi ex quadam Hieronymi præfatione in Johannem. Alii addunt, sponsam postea fuisse unam ex virginibus Deo consecratis, quæ cum Maria semper manserunt. Hæc sine dubio in contumeliam nuptiarum conficta sunt. Et execrandum est hoc commentum. Sceleratè enim hoc dogma pervertit illud ipsum, quod filius Dei sua præsentia, & quidem primitiis suorū miraculorum, voluit comprobare, honorabiles scilicet esse nuptias, & cubile impollutum, Ebr. 13. v. 4. Pertinet igitur fictitia illa traditio ad doctrinas dæmoniorum, 1. Tim. 4. v. 1.

Sed in ordine historiæ progrediamur. Magna sine dubio in principio fuit lætitia & gratulatio in nuptiis illis, & sponsi & reliquorum convivarum, ac felices se putârunt propter præsentiam Jesu, quem constabat jam Messiam declaratum esse. Nam & mater ad ipsum intercedit, (*Vinum non habent*;) & ministri ipsum reverentur. Circa finem verò convivii, cum ad hilaritatem progressum esset, lætitia turbata est. Cœpit enim vinum deficere. Id enim ex verbis Architrilini colligitur, cum inquit: (*Omnis homo primò bonum vinum proponit, &c.*) Utiur autem Evangelista Participio *ὑπερησάσας*, quo Græci reddiderunt Ebraicum verbum *Hafer*, quod ita usurpatur Genes. 8. v. 3. Aquæ defecerunt, id est, cœperunt minui. Potest igitur sensus esse: Cum exhaustum fermè esset vinum, & inciperet deficere, ut sufficere jam non videretur, Mariam voluisse prævenire, ne convivæ hoc resciscerent. Et ad hanc sententiam videtur responsio Christi accommodata esse: (*Nondum venit hora.*) Vel, propter indefinitum *ὑπερησάσας*, exponi potest: cum defecisset vinum. Maria autem simpliciter dicit: (*Vinum non habent*;) nihil addens amplius: unde colligitur, ipsam eximiam de Christo opinionem & fidem habuisse. Satis enim habet, defectum vini verbo ipsi insinuassee, quasi nihil dubitans, quin, pro sua bonitate & sympathia, qua suorum inopia tangitur, velit, & pro potentia sua possit succurrere. Ita certè oratio fidei satis habet, defectus suos tali spe Deo exponere, tempus & modum, quo subventurus sit, bonæ ipsius voluntati & providentiæ relinquens. Multum igitur lucis de agnitione Christi Mariam habuisse, hæc petitio ipsius ostendit. Cum enim nullum antea vel vidisset vel audiisset miraculum à Jesu editum, plena fide non tantum accedit ipsum, petens auxilium in defectu vini, verum etiam durius excepta inquit ministris: (*Quicquid dixerit vobis facite.*) Ostendit autem historia, Mariam non hoc petiisse, ut expositâ pecuniâ aliunde curaret vinum adferri, sed aliquid miraculose expectavit. Et variè disputatur, unde hanc noticiam habuerit Maria, quòd fiduciam concipit de miraculo. Quidam suas conjecturas de miraculis in privata vita à Jesu editis sequuntur: sed illa sola, quæ scripta sunt, certam & infallibilem præbent regulam. Audierat ergò Maria admirandas patefactiones ab Angelo, à Josepho, Elisabeta, Zacharia, Pastoribus, Magis,

T

gis,

gis, & omnia verba conservabat & conferebat in corde suo, instituta scilicet collatione cum vaticiniis Prophetarum de Messia, de quibus sine dubio multa sæpè per triginta illos annos cum Jesu ante manifestationem loquuta est. Quia igitur sciebat, Messiam editurum miracula, & Jesus jam erat declaratus Messias, expectat igitur tale aliquid, sicut Prophetæ prædixerant. Hæc est simplicissima ratio.

Quare verò Jesus matrem in hac pia & modesta petitione duriter excipiat, & quæ sit historiae hujus doctrina, ex responsione Christi colligendum est. Prius autem vocabula explicanda sunt. *τί ἐπιζητοῦσίν σοι*; inquit, (*Quid mihi & tibi?*) Ad verbum videtur sonare, quid hoc sive ad meam sive ad tuam curam pertinet, quòd vinum non habent? Sed hæc non est sententia. Omnino enim hæc sollicitudo pertinet ad caritatem proximi. Et de Deo scriptum, 1. Pet. 5. vers. 7. Ipsi cura est de vobis: sicut Christus ipso facta mox ostendit. Phrasis igitur est, quæ ex Scripturæ exemplis judicanda est. Ita enim rectissime explicari poterunt disputationes, quid sit in petitione Mariæ, quòd filius tam aspera responsione excipiat. Judic. 1, 12. ad regem Ammonitarum bello petentem terram Israël Gedeon inquit: Quid mihi & tibi, quòd vastas terram meam? Hoc est, quid juris tibi sumis? aut quam causam mecum habes, quòd invadis ditionem, quæ non ad te, sed ad me, pertinet? Hanc enim esse sententiam, responsio regis indicat. Item 2. Regum. 16. v. 10. Cum filii Zerujæ sine mandato regis vellent Semei maledicentem interficere, inquit David: Quid mihi & vobis? Hoc est, non debetis vos ingerere in ea, quæ mei officii sunt: ad me, non ad vos, injuria hæc pertinet: & meum tanquam regis officium est, fontes plectere. Ita Esdræ 4. vers. 3. cum hostes dicerent, Ædificemus vobiscum; respondent Israëlita: *שָׁךְ הָיִינוּ נֹדֵדִים וְעַתָּה בְּבִיטוֹנוֹתֵינוּ*, hoc est, nihil commune nobis vobiscum esse debet in ædificanda domo Deo nostro, sed nos soli ædificabimus. Hæc sententia perspicue explicat phrasin. Ita Matth. 8. v. 29. immundi spiritus superbe dicunt: Quid nobis & tibi fili Dei? Hoc est, cures quæ tua sunt, & nos sine molestia nobis relinquis: habemus enim nostrum peculiare regnum. Hæc explanationes ostendent veram sententiam verborum Christi: quid scilicet in Mariæ petitione reprehendat, & quare ipsam tam duriter excipiat. Non enim hoc reprehendit, quòd de proximi difficultatibus sollicita intercedit pro aliis: Hoc enim est mandatum caritatis. Rectè etiam facit, quòd Christum ipsum interpellat. Et quidem orationem rectè format: tantum enim proponit necessitatem, (*Vinum non habent.*) Ex Mariæ igitur verbis hoc, quod quæritur, colligi non potest: sed ex responsione Christi, cujus duæ sunt partes: 1. (*Quid mihi & tibi mulier?*) 2. (*Hora mea nondum venit.*) Conferatur autem huc explicatio phraseos supra posita, & sensus manifestus erit. Quia enim Jesus subditus fuit parentibus, Luc. 2. v. 51. mater igitur auctoritate & potestate sua materna erga ipsum usque ad trigessimum annum usa fuit, quando aliquid ipsi proposuit. Et eadem sua materna auctoritate,

sicut in privata ipsius vita, ita etiam jam, postquam officium Messie tractare cepisset, Mariam tacitè & obliquè uti voluisse, præsertim cum illorum res ageretur, qui secundum carnem cognati Christi erant, phrasis in responsione Christi indicat. Hoc enim vult dicere: In iis, quæ ad officium meum pertinent, ut in exaudiendis precibus, in conferendis beneficiis divinis, nihil mihi & tibi est, nullum hic tuum jus, nulla auctoritas est, nihil in hoc officio commune mihi tecum est: In hoc casu nihil differs mater à quavis muliere, ad me solum hoc pertinet: non ingeras te meo officio. Hanc enim esse sententiam phraseos, Scripturæ exemplis ostendimus. Ideò appellat non matrem, sed (*mulierem.*) Et hoc secundum est, quòd in petitione matris Christus reprehendit: quòd scilicet propter prærogativam cognationis carnalis putavit sibi, & cognatis suis præcipuè, hoc quali obligatione quadam deberi à Christo. Sed Matthæi 12. v. 48. respondet: Quæ est mater mea, & fratres mei? &c. & Lucæ 11. v. 17. Beatus venter, qui te portavit! Imò beati, qui verbum Dei audiunt & custodiunt.

Jam igitur res manifesta est, quare tam asperè Christus respondeat matri. Et diligenter hoc notandum est, quòd aliquantò durius voluerit respondere, ut futuræ superstitioni de Advocatione Mariæ opponeret hanc sententiam, quæ ostendit, quantopere abominetur, quando honor sibi soli debitus, inter se & matrem, quasi facta fortione aut partitione, dividitur. Beda adversus Erasmus impudenter inquit: Christum etiam nunc in dextra patris debere matri obedientiam, juxta humanam naturam. Et idè ita exponunt hæc verba Hymni sui: Monstra, te esse matrem: hoc est, sicut alias canunt, jussu matris impera Salvatori. Sed quid Christus respondeat, phrasis ostendit: (*Quid mihi & tibi mulier?*) Observetur itaque, nihil in precibus tam offendere Christum, quàm si Sancti, etiam si mater ipsius sit, admisceantur iis, quæ sui solius officii sunt. Ideò enim respondet matri, ut asperitas verborum offendere posset non satis considerantem quid agatur. Tertium, quòd Christus in petitione matris reprehendit, comprehenditur in his verbis: (*Nondum venit hora mea.*) Augustinus exponit de hora passionis, Johan. 7. vers. 8: quòd tunc agnoverit, Johan. 19. vers. 26. Sed simplicius est, ut more Scripturæ Hora intelligatur tempus commodum & opportunum, ad agendum aliquid, quòd tempus à Deo constitutum & destinatum est, ut ad Roman. 13. v. 11. hora est à somno surgere. Apoc. 14. v. 15. hora metendi. Johan. 13. v. 1. venit hora ejus. Luc. 22. v. 53. hæc est vestra hora. Ostendit igitur Christus hac responsione: Mariam nimis properam & festinatam sublevationem urisse, & obliquè quasi præscripsisse, hoc esse opportunum tempus, ut prius, quam defectus vini hospitibus innotescat, sponsum pudefiat, inopia ejus sublevetur: sicut Chrysostomus sentit, & sicut de Participio *ὡς ἐσησάρευ* supra annotavimus. Tradit autem Christus, sua responsione, regulam, non debere nos de opportunitate temporis Deo aliquid præscribere: quia tempus, horam, & momentum

mentum in sua posuit potestate, Actor. 1. vers. 7. Et observentur duae contrariae definitiones: Quid sit hora, hoc est, quod sit commodum seu opportunum tempus auxilii. Maria enim cogitat, hanc esse horam, ut feratur auxilium, priusquam vinum planè exhaustum est, hospites resciscant, ne sponsus perturbetur, aut pudore confundatur coram convivis. Jesus verò respondet, Nondum venit hora mea: sed quando vinum usq; ad fundum exhaustum est, quando defectus omnibus innotuit, quando perturbata & fermè desperata sunt omnia, tunc est hora Christi. Hoc enim modo illustrius redditur miraculum, quàm si defectum vini prævenisset: Ac notetur, quòd Christus, licet duriusculè respondeat, non tamen negat auxilium, sed horam, dicit, nondum adesse. Sed, inquis, verba Maria nihil tale sonant, sicut ex Christi responsione colligitur. Respondeo: Ethac observatio multa monet: Deum scilicet orationem seu preces non tam ex verbis, quam ex animi cogitationibus iudicare. Maria enim verbis quidem orationem rectè format: sed tacitè & obliq; intercurrent cogitationes de auctoritate materna, & de hora, quam jam iudicat esse ita opportunam, ut si hæc præterlabatur, non possit commodè fieri sublevatio. Christus verò non ad verba orationis, quæ rectè formata sunt, sed ad mentem & cogitationes Mariæ respondet. Assuefaciamus igitur nos, ut cogitationum præcipuè rationem habeamus in precibus. Ac discamus cognoscere, quare sæpè durius excipiamur, etiam quando verba orationis ad regulam verbi Dei institutum, propter aberrantes scilicet cogitationes, quando scilicet nobis præ aliis hoc quasi debere obliquè cogitamus, sicut Maria, & quando properatum nimis auxilium urgemus, quasi desinientes hanc horam esse. Ostendit autem Maria suo exemplo, quando tales cogitationes orationem turbant, & maculant, quid faciendum sit: ut scilicet culpam agnoscentes patienter feramus, quando re ipsa durius responsum loco exauditionis experimur, ac vera humilitate voluntati Dei nos subijciamus. Interea faciamus, quicquid dixerit, & ita humiliter fide expectemus, quando hora ipsius venerit, de exauditione interea non dubitantes, sicut Maria facit. In manifesta enim & aspera quasi repulsa, Maria certam exauditionem & sibi & ministris pollicetur; Ideò Ministris inquit: (Quicquid ipse dixerit vobis, facite.) Ac notetur, quòd in defectu vini Maria ministros non ad se invitat, promittens ipsis patrocinium vel auxilium: sed ad Christum ipsos deducit & ablegat: (Quicquid, inquit, ipse vobis dixerit, facite.) Et Theophylactus censet, Mariam iussisse, ut ministri, qui convivio debebant infundere, tristes se, non habentes vinum, sisterent in conspectum Christi, ut hoc quasi spectaculo inopiae animus Christi acrius moveretur. Et in genere hæc quasi repulsa Mariæ docet: Christum Ecclesiam suam in invocatione sæpius ita tractare, quòd obicit adversa, quæ quasi contraria sunt promissionibus & exauditioni, non quòd juvare nolit, sed ut fidem probet, & auxilium illustrius reddat, quòdque hora eius nondum venerit.

Harmon. Tom. I.

Hæc plena sunt utilissimæ doctrinæ, quæ aliis Scripturæ sententiis & exemplis illustrari possunt. Sed hæc ego ratione plurimum delector, quando in ipsis historiæ circumstantiis & vocabulis, fontes doctrinæ simplicissimè monstrantur. Non enim idem est Commentaria scribere, & Locos communes tractare seu explicare. Atquæ hæc est prima pars hujus historiae.

Reliqua pars in descriptione miraculi consumitur, singulæ enim circumstantiæ accuratius descriptæ sunt: quas vel ideò convenit expendere, quia est primum miraculum Christi. Dicit igitur Evangelista, in illo loco, ubi convivium nuptiale celebratur, (Hydras positas fuisse.) Hebraicum $\gamma\delta$ Cad, quod generale est nomen vasis; Græci reddiderunt $\psi\delta\epsilon\mu\alpha\upsilon$: Latine dici potest aqualis, quando aquis hauriendis & recipiendis destinatum est. Nam aliàs etiam de vasis farinae dicitur, 3. Regum 17. vers. 12. & hoc pertinet ad illustrandum miraculum. In dolio enim vinario etiam vacuo potuisset reliquiis fecium aliquid tribui: sed in illis hydris nunquam fuerat vinum. Vulgares autem hydras fictiles fuisse, inde colligitur: Confringuntur enim Iud. 7. vers. 20. Eccl. 12. vers. 6. fuisse etiam portatiles, ostendit historia Gen. 24. vers. 15. Iud. 7. vers. 20. Johan. 4. vers. 28. sed hæc fuerunt lapideæ & tantæ magnitudinis ac capacitatis, ut loco non moverentur: sed (positæ essent,) non portarentur ad hauriendum aquam, sed aqua in illis inferretur. Et Christus postea non dicit: Infundite inde, sed haurite inde, & adferte Architriclino. Positas autem in illo loco fuisse, Evangelista inquit, (secundum purificationem Iudæorum.) Iudæi enim ex traditione seniorum crebris utebantur lotionibus in conviviiis, præsertim ubi non manus tantum, sed urcei, calices, patinæ, cultri, sæpius purificabantur, Marc. 7. vers. 8. Lucæ 11. v. 39. Matth. 23. v. 25. Ne igitur opus esset semper ad flumina decurrere, hydris sex positæ fuerunt, quæ convivio quantumvis magno ad purificationem sufficere posse iudicabantur. Et hæc circumstantia de positis hydris, si rectè expendatur, videtur significare, non in privatis adibus, sed in publico aliquo loco, ubi hydris illæ perpetuò in hunc usum stabant, (Græcè enim est, $\eta\upsilon\ \kappa\epsilon\iota\tau\epsilon\upsilon\alpha\iota$) nuptias celebrari solitas. Et Architriclinus etiam nomen habet à lecticis, in quibus convivæ mensis accumbant. Ita enim $\eta\kappa\lambda\iota\upsilon\upsilon$ usurpatur, Esther. 1. v. 6. Et $\tau\epsilon\mu\kappa\lambda\iota\upsilon\upsilon$ sive $\tau\epsilon\mu\kappa\lambda\iota\upsilon$ appellacionem accipit ex frugali antiquitatis consuetudine. Tres enim circa mensam lecticæ erant, in quibus totidem convivæ discumbant: sicut ostendit Iuvenalis, ubi inquit, aliquando clientem adhiberi mensæ: Tertia ne vacuo restaret culcitra lecto. Et Horatius aliquoties meminit de tribus convivis. Plautus verò bielinium vocat, ubi duo tantum, adolescens scilicet cum amica, discumbat. Postea per Synecdochen non lecticæ tantum, & mensa, sed & locus ipse, ubi mensa cum lecticis stabat, cœpit vocari triclinium. Et per $\epsilon\upsilon\ \tau\epsilon\sigma\sigma\omega\upsilon$ non tantum locus angustior, qui tres tantum lecticæ capiebat, sed quodvis conclave, in quo quantumvis magna convivarum frequentia discumbat, accipit appellacionem triclinii.

T 2

Sicut

Sicut citatur exemplum ex Quintiliano, de triclinio, quod super convivas corrui. Vocem autem Græcam esse, dubium non est: sed latinis scriptoribus usitatio ferè est, quàm Græcis. Suidas annotavit tale exemplum: Anastasius rex, *καὶ τὸν μέγαν τετρακλινον, τὸν ἐν λαχέριαις*, qui usq; ad hæc tempora Anastasius vocatur. Fuisse autem in populo Israël publica & quasi sacra triclinia, in usum talium conviviorum, constat ex historia 1. Reg. 9, 22. Samuel enim Saulem uncturus in regem, in excelso introducit ipsum in triclinium, ubi quasi triginta viri ad convivium vocati erant. Hebraicè est לִשְׁכַּח לִשְׁכַּח, Græcè *κατάλυμα*, postea vocatum est triclinium. Et videtur hoc inde ortum fuisse, quia Moses præceperat, ut epularentur coram Domino, Deut. 12, 12. 18. c. 27, 7. ut ipsa loci reverentia hilaritatem conviviorum in timore Domini retineret. Et quia in nuptiis præcipuè hilaritas temperanda est, invocatione, benedictione timore Domini, & gravioribus narrationibus, sicut testantur exempla Tobia 7. v. 17. Iud. 14. v. 12. libenter inter pretor triclinium hoc nuptiale, de tali publico loco, qui forsan non procul a Synagoga abfuit, sicut circa atrium templi solennes epulas habere solebant. Fit autem mentio 1. Regum. 9. vers. 23. cujusdam, cujus officium est, ea, quæ ad convivium pertinent, parare, disponere, & cibos proponere. Vocatur autem ibi חַבֵּחַ, Thabach, coquus. Esther. 1. v. 8. vocatur רַב, Rab, cui mandata est inspectio, ne quis præter voluntatem poculis gravetur. Et in aulis regum ἀρχιμάγειρος, sicut Græci reddiderunt, Hierm. 52, 12. 1. Regum 25, v. 20. fuit splendidum & plenum dignitatis officium. Et non est dubium, qui hic vocatur Architriclinus, appellationem habere ab officio, quod 1. Regum 9. vers. 23. & Esther 1. vers. 8. describitur. Illi enim primò vinum gustandum offertur. Alcuinus annotat ex veteribus, semper aliquem ex Sacerdotibus huic officio præfectum fuisse, cui mandata erat inspectio, ne hilaritas nuptialis degeneraret in beluinam ebrietatem. Atque huc convenit, quod hoc loco narrat Architriclinus, morem esse, ut primò bonum vinum apponatur: postea verò, ubi hilaritas videbatur ad ebrietatem velle vergere, ut dilutius & minus forte detur. De re ipsa non est dubium. An verò Sacerdos fuerit, idoneis testimoniis probari non potest: bona tamen est cogitatio. Hæc ideò annotavi: ostendunt enim pulcherrimam imaginem, qua diligentia & gravitate moderanda sint convivia, præsertim nuptialia. In illo igitur publico loco positæ steterunt hydriae. Et aliàs in vulgari usu erant fictiles: in templo erant aureæ, 3. Reg. 7. vers. 50. 4. Reg. 12. vers. 13. Hier. 52. vers. 19. In nuptiali verò convivio erant lapideæ. Et illæ in principio convivii plenæ fuerunt aqua: sed cum jam circa finem ferè convivii esset, crebris purificationibus magna ex parte exhaustæ fuerunt. Cum igitur diaconi iuxta monitionem Mariæ starent, ipso gestu defectum vini significantes, & expectantes, an mandatum aliquod de subsidio in defectu vini accepturi essent: Christus dicit illis, (*implere hydrias aqua.*) Mirabilis sanè ratio juvandi in necessitatibus, 1. inquit: nondum venit hora mea. 2. quan-

do hora venit ad sublevandum vini defectum, jubet plus aquæ inferri. Ministri verò ita edocti à Maria, nihil inquirunt in hoc mandatum, non rident, non murmurant, nec tergiverfantur, sed implent hydrias usque ad summum. Et verè admiranda est horum ministrorum obedientia, quòd deficiente vino jussi aquam afferunt: quòd postea jussi, quam sciebant aquam esse, afferre Architriclino gustandam, prompti obsequuntur. Cum verò hydriae recens aqua essent impletæ, non tetigit Jesus vel hydrias, vel aquam: sed mox, nulla interposita mora, inquit ministris, (*ἀναλησάτε*, hoc est, *haurite*) ex singulis hydriis aliquid, & infundite poculo. Hoc enim verbum suum correlativum aliquando simul complectitur: haurire scilicet ex aliquo, & in aliud infundere, sicut Varinus annotavit. Iubet autem Christus illud, quod ex hydriis haustum & poculo infusum erat, Architriclino primùm gustandum inferri: quia ad ipsius officium hoc pertinebat, quem Græci ideò vocant *προγεύτης*, prægustatorem, qui que de vini bonitate judicare poterat. Ostendit autem Evangelista, Architriclinum interea, dum ministri hydrias implebant aqua, occupatum fuisse sollicitudine forsan & agitandis consiliis, qua ratione præstanti inopia subveniri posset. Nihil enim sive de hydriis impletis, sive de eo, quòd inde haustum erat, sciebat. Cum igitur ex inopinato vinum ipsi prægustandum offerretur, existimavit, sponsum aliunde curasse vinum afferri: ministri enim nihil ipsi dixerunt, unde hausissent. Advocat itaque sponsum, & cum illo quasi expostulat, quòd cum tam præstans vinum potuerit habere, passus sit hilaritatem convivii defectu inturbari, & non potiùs primò optimum illud vinum protulerit. Hæ circumstantiæ omnes pertinent ad certitudinem miraculi: 1. Quòd in hydriis fuit factum vinum, in quibus nihil aliud unquam contentum fuerat, quàm aqua. 2. Recens impletæ erant usque ad summum. 3. Ministri in instanti jubentur inde haurire. 4. Idem ministri, qui aquam in hydrias intulerant, hauriunt mox inde, in poculum infundunt, & ad Architriclinum deferunt, nec sciunt aut cogitant, se aliquid aliud, quàm meram aquam, quam intulerant, offerre Architriclino. Ac cogitarunt forsan, sententiam Christi esse, ut convivis jam ferè saturatis non vinum, sed aqua, pro more ejus regionis, in illa sponsi paupertate, propinaretur. 5. Architriclinus nihil sciebat, nec de impletis hydriis, nec quòd inde illud haustum & infusum esset, quòd gustandum offerebatur. 6. Ministri sine dubio ad Architriclini de præstantia vini exclamationem obstupuerunt primò: sciebant enim, unde hausissent: cum verò gustassent, & ipsi magis admirati fuerunt. Atque hoc modo miraculum illud increbuit in toto convivio, cunctis sine dubio ad ipsas hydrias concurrentibus, ut eò certiores essent de miraculo. 7. Pertinet & hoc ad miraculi certitudinem & descriptionem præstantie vini, quòd non conviva, quorum sensus sive gustus in fine convivii posset videri minus integer fuisse, sed Architriclinus, cujus officium erat, vinum prægustare, de præstantia hujus aquæ, quæ facta fuerat vinum, exclamat. Rectè enim dicit

cit Chrysoſtomus, intelligendum eſſe, quod Chriſtus aquam non ſimpliciter fecerit vinum, ſed vinum optimum. Generale enim eſt in omnibus miraculis, quod terminantur ad aliquid melius, quam per naturam fieri poſſet, ſicut Scholaſtici loquuntur: ſicut membra claudorum, quæ Chriſtus ſanavit & reſtituit, ſine dubio elegantiora & robuſtiora facta fuerunt, quam aliâ in fanis ſunt. Abſque omni igitur dubitatione talis fuit vini hujus præſtantia & excellentia, cujus ſimilis liquor nullus unquam vel ex racemis natus fuit, vel ulla arte confici poteſt. Obſervanda etiam eſt illa cognatio, quam Chryſoſtomus annotavit: quod ex aqua Chriſtus facit vinum. Quotannis enim pluviam per radices vitium vertit in ſuccum, & ex inſipido palmitum ſucco producit vinum. Sed quod Deus generali actione in vitibus per multum temporis in anno operatur, hoc Chriſtus in ſtanti efficit in aquis hydriarum: Ut oſtendat, ſe eſſe Verbum illud Patris, per quod creata ſunt omnia, & ſuſtentantur: hoc enim modo divinitatis ſuæ gloriam, quaſi unigeniti à Patre, hoc miraculo manifeſtavit. Auguſtinus inquit: Ipſe fecit vinum illo die in hydris, qui omni anno illud facit in vitibus: ſed quia illud aſſiduitate amiſit admirationem, itaque ſervavit ſibi Deus inuſitata quædam, quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad conſiderationem operum Dei in creaturis excitaret.

Porro ad præſtantiam miraculi & hoc pertinet, quod accuratè deſcriptum eſt, quanta fuerit menſura & copia illius vini. Dicit enim Evangeliſta, ſingulas hydras potuiſſe capere (*metretas duas aut tres*) quod intelligi poteſt, vel quod non æqualis capacitatis fuerint hydræ, ſed quod quædam inter illas tres, quædam verò duas metretas capere potuerint: vel ſimplicius, quod hæc phraſi menſura non præciſe certa ſignificetur: ut capacitas fuerit ultra duas & infra tres metretas. Budæus autem, 5. de Aſſe, oſtendit, metretam & cadum eandem eſſe menſuram, continentem decem congios. Congius verò ſex continet ſextarios, ſextarius duas continet hæminas vel cotylas. Hæmina appendit libram unam, hoc eſt, ſex cyathos. Cyathus continet duas uncias liquoris. Robertus Senaliſ tradit, metretam & cadum idem capere, quod Batum ſeu Ephi: quas menſuras ex Joſepho oſtendit continere 72. ſextarios Atticos, hoc eſt, libras menſurales 108. Atticum enim ſextarium capere ſelibram, & idem eſſe cum Log Ebraico, quæ menſura Ebræis dicitur capax ſex ovorum. Inde capacitas harum hydriarum facile poteſt colligi. Syrus habet vocabulum *רעור*, quod ſignificat vel quartam vel quadrageſimam partem certæ menſuræ. Ponamus igitur ſimpliciſſimè, menſuram fuiſſe 15. metretarum in ſex illis hydris: continet autem metreta decem congios, hoc eſt, 60. ſextarios: qui ſi ducantur per 15. erunt 900. ſextarii, qui faciunt noſtra menſura 110. *Stübichen* / hoc eſt, fermè 6. *Chmet* / vel 3. *Ohmen Wein*. Fuit igitur ampliffimum munus, quod Filius Dei ad nuptias illas contulit. Et quia ſub ſinem convivii factum hoc fuit, (*inebriatis*) hoc eſt, liberalius exaturatis convivis, quorum non magnus

Harm. Tom. I.

fuit numerus, non fuit tunc abſumtum omne illud vinum: ſed ideò in tanta copia Chriſtus illud fecit, ut non ſemel ac ſimul abſumeretur, ſed, ſicut poſtea in miraculo panum fecit, ad memoriam & teſtimonium miraculi ſervari poſſet. Et quia in loco publico hydræ illæ ſtabant, ſine dubio multi etiam, qui nuptiis non interfuèrant, poſtea divulgata hæc fama accurrerunt, & guſtando illud vinum teſtes facti ſunt hujus miraculi: quod ea etiam occasione celerius & lætius ſparſum fuit, ut non dubitem, famam illam perveniſſe ante Jeſum Hieroſolymas.

Locum autem, ubi primum hoc miraculum editum fuit, propter certitudinem miraculi Evangeliſta bis nominat, & diſtinctè nominat: (*Canam Galilææ*.) Duæ enim Canæ deſcribuntur, una Joſuæ 16. verſ. 10. in tribu Ephraim; altera Joſuæ 19. verſ. 28. in tribu Aſer, propè Sidonem. Hanc vocant Canam majorem, quæ inter Tyrum & Sidonem ſita fuit in ea regione, quæ Syrophœnicia tunc appellata fuit, unde mulier Cananæa, Marc. 7. verſ. 20. Altera verò, quam Joſua capite 16. v. 10. collocat in tribu Ephraim, in Samaria fuit: ſicut deſcriptio apud Joſuam oſtendit. Quæ igitur Cana Johan. 4. verſ. 46. itinere unius diei diſtat à Capernaum, neceſſe eſt, tertiam eſſe, quam ad differentiam unius Canæ in Phœnicia, & alterius, in Samaria, ſita, Evangeliſta nominat Canam Galilææ, cujus locum nunc oſtendunt quarto milliari à Ptolemaide, quæ nunc Arais dicitur, verſus Ortum in tribu Zebulon. Joſephus verò etiam in Cœleſyria ponit Canam quandam, Antiq. 15. cap. 6. & de Bello Judaico, lib. 1. capite 14. Johannes igitur diſtinctionis gratia neceſſariò vocat Canam Galilææ, quæ etiam Joſephi tempore celebris vicus fuit, in Vita Joſephi, & de Bello Judaico, lib. 1. capite 13. In Joſua autem *קנה* ſcribitur, & appellationem habet vel à zelo, Luca 6. v. 15. ubi Simon Cananæus vocatur Zelotes: vel ab acquisitione, poſſeſſione, opulencia: vel à calamis aromaticis ſeu arundinibus. Nam Joſ. 16. v. 8. vocatur torrens Cana. Syrus legit *קנה* Kotne, quod agellum modicum ſignificare ſcribunt.

Hæc de circumſtantiis hujus hiſtorie prolixius aliquantò annotare placuit. Quia enim primum eſt miraculum, & quidem initium ſignorum Jeſu, dignum eſt, cujus ſingulæ circumſtantiæ diligentius expendantur.

Reſtat jam, ut breviter etiam doctrinæ capita, quæ in hac hiſtoria proponuntur, notemus. Viſa autem plerique veterum fuit talis hiſtoria, quæ ſecundum literam (ut vocant) non multum doctrinæ præbere poſſet. Ideò comminiſcendis variis allegoriis quaſiverunt peregrinas materias, de quibus ſpecioſius ſibi dicere poſſe videbantur. Quadruplices ponunt nuptias: 1. Carnalis copulationis; in quibus tria bona conjugii, Caſtitaſtem, Fidem, Sacramentum, ſignificare dicunt per Jeſum, matrem ejus, & diſcipulos. 2. Vocant nuptias divinas, Incarnationis ſcilicet: ubi artiſſima copulatio fit in perſona Chriſti, divinæ & humanæ naturæ. 3. Ponunt ſpirituales nuptias, inter Chriſtum ſponſum, & Eccleſiam ſponſam:

T 3

ſive,

sive, conjunctionem Dei & fidelis animæ. 4. Vocantur etiam in Apocalypsi nuptiæ beatae fruitionis in æterna gloria, Apocalyp. 19. vers. 7. ubi pro frigida aqua hujus vitæ bibemus vinum novum in regno Patris, Matth. 26. v. 29. vel vinum vindemiæ defecata, Isa. 25. 6. Atque hæc allegoria, si sobriè adhibeantur, ne sensus historicus per illas obruatur, ferri aliquò modò possunt. Venerant enim Christus in hunc mundum, propter magnum illud mysterium, ut Ecclesiam sibi sponfam adjungeret: ut itaque hoc indicaretur, ideò inchoato officio gloriam suam primo miraculo in ipsis nuptiis manifestavit. Ac quomodo sub specie infirmitatis salutaris illa copulatio Christi & Ecclesiæ fiat in hac vita, quam gloriosa futura sit in altera vita, in circumstantiis hujus historiæ, quod vinum deficiat, hydriæ aqua impleantur, & ex aqua fiat vinum suavissimum, observatione non ingrata ostendi potest. Atque hæcenus in genere rectè ita potest tractari allegoria nuptiarum.

Addiderunt verò alias præterea allegorias, tertio die factas has nuptias: hoc est, post Legem naturæ, & Legem scriptam, sub Lege gratiæ. Aquam Augustinus interpretatur mysteria Veteris Testamenti, quæ vertuntur in vinum, quando sensus aperitur. Architriclinus est Legis Doctor. Ministri sunt Doctores Novi Testamenti. Sex hydriæ interpretantur quinque sensus corporis, cum uno simplici sensu animæ. Illas dicunt aqua impleri, quando fletu compunctionis omnes sensus à culpa lavamus. Bernhardus sex hydriæ interpretatur tot rationes purgandi peccata post Baptismum commissa: compunctionem, confessionem, eleemosynas, remissionem injuriarum, afflictionem corporis, & obedientiam præceptorum. Inter quas rationes nec Christum, nec Evangelium, nec Sacramenta, nec Fidem, locum habere vides. Alii de sex ætatibus mundi disputant. De metretis etiam varia comminiscuntur. Hæc diviter annotavi, ut consideretur, quid ex intempestivo allegoriarum studio consequatur.

Simplicior verò certior & utilior est doctrina, quam ipsæ circumstantiæ historiæ præbent. Tales enim sunt historiæ sacræ, quod etiam, quando prima specie exiles & quasi steriles apparent, plurimum doctrinæ complectuntur. Et interpres hoc tantum agere debet, ut illa evolvantur. Nos capita tantum annotabimus. Et primò ipse Evangelista ponit explicationem hujus & omnium signorum Christi. (*Manifestavit, inquit, gloriam suam.*) Duplex est autem manifestatio gloriæ ejus, divinitatis scilicet, & officii: hoc est, hunc JESUM scilicet esse filium DEI, & Messiam. Finem verò & usum miraculi ostendit, cum inquit: (*Discipuli crediderunt in ipsum.*) Idque dupliciter. 1. Crediderunt, doctrinam ejus, quam traditurus erat, veram, divinam & cœlestem esse. 2. Conceperunt fiduciam, credentes, per nomen ejus vitam æternam se habituros. Ita enim ipse Evangelista fidem explicat cap. 20. vers. 31. Crediderant autem jam antea discipuli, Johan. 1. vers. 41. Modus ergò augescentis & crescentis fidei ita describitur. Antea crediderunt, Jesum esse Messi-

am: jam credunt in ipsum. Augustinus intelligit hoc non de prioribus discipulis, sed qui miraculo illo moti noviter ipsius discipuli facti sunt, credentes, ipsum esse Messiam. Notanter autem de discipulis hoc dicitur: fratres enim ipsius ne postea quidem in ipsum crediderunt, Joh. 7. vers. 5.

Secunda doctrina est de Oratione, & de modo exauditionis, cujus explicationem in circumstantiis ostendimus.

Tertiò ostendit hæc historia, conjugium, imò ipsas nuptias, etiam in Novo Testamento, Deo placere, à Christo confirmari, & præsentiam Christi ac gloriam gratiæ ejus non excludi à fidelium nuptiis. Simul autem traditur doctrina, quomodo in Domino contrahendum sit conjugium, ut scilicet Christus invitetur, & gratia sua adsit.

Quartò crux, quæ conjugio imposta est, depingitur in imagine hujus historiæ: & qua humilitate, obedientia, ac spe toleranda sit; qua etiam ratione à Christo tandem sublevetur.

Quintus locus est de convivis, & hilaritate nuptiarum, quæ à Christo non damnantur, sed egregio munere juvantur. Anabaptista hoc factum simpliciter damnaret, quod convivis saturatis præstantissimum vinum Christus fecerit, cum alibi multi sitirent. Observetur autem, quæ ratione temperanda sit illa hilaritas, ne excedat limites gaudii in Domino, sicut in explicatione circumstantiarum monstravimus. Quod enim usurpatur verbum *μεθυσται*, non significat, convivis vino ita repletos & sepultos fuisse, ut sequente *δωρία* nec mens, nec manus, nec pes officium suum faceret. Christum enim talè ebrietatem sua præsentia approbasse, imò munere suo adjuvissè, ut in belluas degenerarent, impia, imò blasphema est cogitatio, pugnant cum tota Scriptura. Et inopia vini diversum de hoc convivio testatur. Habet autem Ebraica lingua tria vocabula, quorum duo, *סבא* & *כרש*, Saba & Sachar, plerunque ebrietatem vitiosam significant, nisi quod Sachar aliquando de potatione ad hilaritatem usurpatur: ut Genes. 34. v. 33. de Josepho cum fratribus bibente. Item, Hag. 1. v. 6. Maledictio est bibere & non ad inebrietatem, comedere & non ad saturitatem: Tertium verò *רַוַּח*, Ravah, significat irrigationem liberaliorem quam pro simplici necessitate: ut non sitis tantum restinguatur, sed hilaritas sequatur, Psal. 36. vers. 9. Inebriantur pinguedine domus Domini. Proverbiorum 7. vers. 18. Inebriemur amoribus. Jerem. 31. v. 14. Inebriabo animam Sacerdotis adipe. Psalm. 23. vers. 5. Calix meus inebrians vel redundas. Eisaï 58. vers. 11. Hortus irriguus. Atque hoc loco rectè interpretabimur verbum inebriandi, quo Architriclinus utitur. Et antea annotavimus, quam honesta fuerit ordinatio in populo Dei, quod convivis ad hilaritatem progredientibus præfecti convivii lenius & dilutius vinum soliti sint proponere, ut retinerentur convivæ in moderata hilaritate, ne fines sobrietatis excederent, & ne *δωρία*, Eph. 5. v. 18. sequeretur. Et in hac historia, ex gloria mi

ria miraculi, singularis reverentia convivarum erga Christum præsentem excitata fuit, ut cum admiratione & gratiarum actione vino illo, in quo præsentem & quasi conspicuam Dei manum cernebant, uterentur. Et hæc commonefactio debet generalis esse, ne donis Dei abutatur. Debemus enim revereri manum Dei pro-

ducentis & porrigentis nobis vinum, ut lætificet cor hominis.

Hæc brevis annotatio capitum doctrinæ pro ratione instituti nostri sufficit. Non enim locos communes tractare, sed capita tantum doctrinæ ex vocabulis & circumstantiis textus monstrare constituimus.

CAPUT XXVII.

CONTINENS HISTORIAM JESU EX CANA DESCENDENTIS CAPERNAUM, ET EX CAPERNAUM ASCENDENTIS HIJEROSOLYMAM: QUIDQUE IN PASCHATE ILLO, QUOD IN PRIMUM ANNUM MINISTERII IPSIUS INCIDIT, EGERIT,

Joh. 2.

RATIO ORDINIS.



Oharentiam & consequentiam harum historiarum Johannes certis circumstantiarum notationibus ita describit, ut nulla opus sit disputatione. Dicit enim, Iesum post editum primum illud miraculum ex Cana descendisse Capernaum, atque ibi mansisse ipsum diebus non multis. Sed cum propè esset festum Paschatis, ex Capernaum ipsum ascendisse Hierosolymam. Ac porro quid in Paschate illo Iesus fecerit, Evangelista describit. Ratio igitur ordinis manifesta est. Et hoc est Pascha primi anni ministerii Christi, secundum quod reliquarum historiarum hujus primi anni tempora constitui possunt. Scribit autem auctor vitæ Jesu, Pascha hujus primi anni incidisse in quintum Calend. Aprilis, hoc est, in 28. Martii. Secundi anni Pascha incidisse in decimum sextum Cal. Maji, hoc est, in 17. Aprilis. Tertii anni Pascha incidisse in nonas Aprilis: hoc est, in quintum Aprilis. Postremi anni Pascha incidisse in octavum Calend. Aprilis, hoc est, 25. Martii. Illa unde auctor iste habeat, ignoro: volui tamen ea hoc loco annotare. Observandum autem est, quod Epiphanius, & post ipsum alii, hunc des-

centi Christi in Capernaum, quem Joannes c. 2, 12. describit, eundem statuentes cum illo, qui Matth. 4. v. 13. & Luc. 4. v. 31. describitur, mirabilem confusionem historiarum in sequentibus, ex hoc principio non rectè considerato, faciunt. Sed res manifesta est, si circumstantiæ descriptionum apud Evangelistas diligenter considerentur. Johannes enim illum descensum Christi in Capernaum, quem cap. 2. v. 12. describit, dicit factum ex Cana, priusquam Baptista in carcerem conjiceretur: sicut expressè dicit cap. 3. vers. 24. Matthæus verò & Lucas disertè indicant, se describere descensum Christi in Capernaum, qui ex Nazareth post Baptistæ captivitatem factus est. Diversas igitur historias esse, manifestum est. Major verò & crassior confusio est, quod quidam hanc ejectionem vendentium ex templo, quæ sub initium prædicationis Christi facta est, Joh. 2. v. 15. eandem voluerint esse cum ea, quæ sub finem ministerii Christi, Matth. 21, 12. & Luc. 19. v. 45. facta est: cum toto triennio distent. Simpliciter itaque filium Iohannis Evangelistæ in hisce historiis, usque post captivitatem Baptistæ, sequendum est.

HISTORIA PRIMI PASCHATIS, QUOD INCIDIT IN TEMPUS MINISTERII CHRISTI: ET QUID HIJEROSOLYMIS ET IN TEMPLO JESUS IN FESTO ILLO EGERIT, JOHAN. 2.

12. Μετὰ τὸτο κατέβη εἰς Καπερναὺμ, αὐτὸς ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· καὶ ἐκεῖ ἔμειναν ἕως πολλὰς ἡμέρας.
13. Καὶ ἐγγύς ἦν τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱερουσόλυμα ὁ Ἰησοῦς.
14. Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τὰς πωλοῦντας βόας, καὶ πρόβατα, καὶ περὶστέραις, καὶ τὰς κερματίας καθήμενας.
15. Καὶ ποιῶντας φραγέλλιον ἐν σφικτῶν, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, καὶ τὰ πρόβατα καὶ τὰς βόας, καὶ τὰν κερματίων ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπεζὰς ἀνέστρεψε.
16. Καὶ τοῖς τὰς πωλοῦσιν εἶπεν· Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρὸς μου οἶκον ἐμπορίας.
17. Ἐμνήθηται δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστὶν· ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με.

12. Post hæc descendit Capernaum ipse, & mater ejus, & fratres, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.
13. Et in propinquo erat Pascha Judeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.
14. Et reperit in templo eos, qui vendebant boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes.
15. Et cum fecisset flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves simul ac boves: & nummulariorum effudit as, mensasq; subvertit.
16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc: nec facite domum Patris mei domum mercatus.
17. Recordati verò sunt discipuli ejus, quod scriptum est: Zelus domus tue exedit me.

T 4

18. Απε